

oblationis & festi pentecostalis die. Similiter in sacrificio Eucharistico, quod, vt suo loco audiemus, typum habebat Christi, tertia resurgentis die, numerari triduum obseruo. Nempe de eo ita Legislator diuinus: *Quo die sacrificabitur illud, comeditur, & post triduum, quod autem remanserit usque ad diem tertiam, igne comburitur.* Sicque adeo phrasis: *Christus resurrexit tertia die*, non patitur, vt inter diem mortis ac resurrectionis Christi intercurrere statuamus vno die plures; discimusque inde ita numerare triduum mortis Christi. Quo die obtulit se in cruce, spiritumque emisit, ille primus est morae ipsius in morte, qua corpus eius mortuum in sepulcro quoque compositum fuit. Nec impedit, quod versus vesperam id factum fuerit, est enim emortalis dies cuiusuis, qua animam ille exhalauit, sepulcralis, qua compositi sunt cineres eius, tametsi minima pars diei superfuisset, illaque annuam memoriam seruat siue mortis, siue sepulturae. *Secunda die* τῆ ἐπιτάφιας in sepulcro moram traxit, cui custodia tum, Iudaeorum instinctu apposita fuit. Illa desinebat in noctem, quae iuxta Iudaicas rationes, de quibus mox plura, diem tertiam inchoabat, qua quidem ante solis exortum ex sepulcro sol iustitiae prorupit: *die tertia* proinde, quemadmodum *die tertia* cremabantur carnes ex sacrificio Eucharistico superstites, quas post noctem mediam, eam diem antegressam, comburi solenne fuit.

§. XIII. Tenemus iam, quae, tanquam clario-  
ra, cynosurae nobis loco inseruiant, ad quae reliqua  
sint reuocanda, atque exigenda. Quantum igitur ad  
phrasin Christi attinet, qua, prout a Matthaeo refer-

C

tur

Levit. XIX.  
6. seq.